PETRUS MARIA FERRÈ DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA ECCLESIÆ...


Pietro Maria Ferrè



EPISTOLA PASTORALIS

UTRIQUE CLERO AC POPULO UNIVERSO

ECCLESIÆ CASALENSIS



17



PETRUS MARIA FERRÈ

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

ECCLESIÆ CASALENSIS EPISCOPUS

VENERABILIBUS FRATRIBUS ET DILECTISSIMIS IN CHRISTO FILIIS ORDINI CANONICORUM, ANIMARUM CURATORIBUS, UTRIQUE CLERO AC POPULO UNIVERSO DIŒCESIS SUÆ

Gratiam et Misericordiam et Pacem a Deo Patre et Christo Jesu Domino nostro.

Nos servi inutiles, quos decebat ultimum in domo Dei locum tenere, fuimus, ita disponente superna Providentia, quæ infirmioribus persæpe utitur instrumentis ad excellentiora sua opera complenda, ut divina sapientia et gloria magis magisque splendescant, ad summum evecti Sacerdotii fastigium. Trepidavimus quidem, sed supremo Jesu Christi Vicario obtemperantes episcopale suscepimus officium, et jam decem elapsi sunt anni anxietatibus pleni ex quo sacro vacamus ministerio intentione utique ducti divinæ majestati in omnibus inserviendi, et cœlestem animarum salutem procurandi, sed simul timore non parvo correpti ne Rex æternus, cum ei spiritualis villicationis nostræ rationem erimus reddituri, nostram negligentiam et inscitiam sit exprobraturus. Nunc autem cum optaremus, ecclesiastico deposito regimine, in silentio et quiete orationibus instantes infirmitati nostræ divinum judicem propitium reddere, ecce summus Pontifex Pius IX nova graviorique nos devinxit obligatione, dum insignem istam Casalensem Diœcesim, quæ suo orbata zelantissimo atque amatissimo Antistite ad sedem Sancti

304

Ambrosii assumpto, nostræ sollicitudini commisit, nec fas esse duximus declinare mandatum. Fausta quidem audimus de clero populoque Casalensi veritatibus fidei firmiter adhærenti, auctoritati ecclesiasticæ reverenter submisso, pietate justitia charitate aliisque christianis virtutibus imbuto; ita ut tot inter tantasque ætatis nostræ perturbationes in eo catholica religio florescere jugiter conspiciatur. Cum tamen non minus laboris atque diligentiæ pastoralis requiratur ad veram doctrinam et bonam disciplinam sartam tectam servandam et augendam, quam ad errores et abusus convellendos, onus nostris humeris impositum reformidamus. Nihilosecius erigimur testimonium nobis reddente conscientia nos hunc paris celsitudinis atque periculi honorem nunquam appetivisse, et confidimus fore ut Deus, qui dignatus est nos ad vineam istam electam mittere, benignissime plantantibus et irrigantibus nobis det ipse spiritualis messis incrementum.

Quam cito ad vos venire cuperemus, sed prius Romam petere debemus, ubi cum sacris Praesulibus ab omnibus etiam remotissimis regionibus Catholici orbis convenientibus adstabimus in conspectu amabilissimi et invicti Pii IX supremi Jesu Christo Vicarii centenaria festa gloriosi martyrii beatissimi Petri Principis Apostolorum celebrantis, nomina plurium heroum qui pro christianae fidei defensione fortiter dimicarunt ultimumque subiere suplicium, et piissimorum qui dum vitam hanc ducerent mortalem exultarunt in sublimioribus sanctitatis semitis percurrendis, in cœlitum album solemniter referentis, et Ecclesiae quam Incarnata Sapientia supra Petrum inconcusse edificavit, et filii Belial malis artibus, et sophismatibus et violentiis jugiter aggrediuntur et persequuntur sapientiam, indefectibilitatem et triumphum mirifice ostendentis. Ibi ab ipso vivo vocis oraculo Pontificis maximi certissima hauriemus documenta quibus perillustrem istam Diœcesim nobis commissam rite instituamus; ibi quoque tot magnificorum Antistitum, et prope innumeræ multitudinis devotorum fidelium votis nostras adjungemus fervidas praeces ut gloriosissimus Princeps Apostolorum, et cum eo Doctor Gentium Paulus, illi qui sancti hac fausta occasione proclamabuntur, et omnium cœlestium comprehensorum ful-

gentissima corona ab omnipotenti Deo, et Salvatore nostro Jesu Christo, pacem et tranquillitatem Ecclesiae hisce temporibus dire exagitatae efficaciter impetrent, perversis sinceram emendationem, bonis virtutis augmentum, humilitati autem nostrae, ac vobis venerabilibus fratribus filiisque dilectissimis intelligentiam voluntatemque ea omnia perficiendi, quae unusquisque nostrum pro suo modulo facere tenetur ad salutem aeternam capessendam.

Attamen volumus statim praesentes ad vos litteras mittere, quibus pastorali affectu exponimus veritates quibus et Nos munus episcopale obeuntes, et Vos sollicitudini nostræ obsequentes tamquam norma certissima duci debemus ut simul Deo reddamus gloriam, et nostris spiritualibus necessitatibus efficaciter consulamus.

1. Necessarium omnino est episcopalis dignitatis et muneris germanam præ oculis mentis habere notionem et ei qui tanto ministerio fungi tenetur, ut sciat quænam sibi sint partes explendæ, et illis in quorum bonum ministerium ipsum exercetur, ut cognoscant gravem obligationem qua tenentur se Episcopo dociles ac benevolos præbere. Non aliter autem vera hujusmodi notio concipi potest quam considerationem intendendo in Jesum Christum, a quo episcopalis auctoritas dimanat. Ipse enim instituit Apostolos quorum in Ecclesia catholica Episcopi successores sunt et hæredes. Hanc Episcoporum originem prænuntiavit Psalmista, qui futuros Ecclesiæ Christi casus aperiens cecinit: = Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos Principes super omnem terram. = Quid est, Augustinus quærit = quid est, pro Patribus tuis nati sunt tibi filii? = Et respondet hoc significari oraculo Apostolos missos a Christo fuisse Ecclesiæ Patres, et ex filiis, quos ipsa genuit Ecclesia, eos prodiisse qui in locum suffecti sunt Apostolorum. (1) = Patres missi sunt Apostoli, inquit Sanctus Doctor, pro Apostolis filii nati sunt tibi (o Ecclesia) constituti sunt Episcopi. Hodie enim Episcopi, qui sunt per totum mundum, unde nati sunt? Ipsa Ecclesia Patres illos appellat, ipsa illos genuit, et ipsa illos

(1) Tract. in Ps. 44.

constituit in sedibus Patrum. = Pensandum igitur quisnam sit Jesus Christus, ad quid venerit in mundum, quamnam Apostolis et per eos Episcopis contulerit missionem.

2. Profecto nos omnes cum Beato Petro profitemur Jesum Christum esse Filium Dei vivi, qui venit in hunc mundum. Si est Filius Dei vivi, ergo est rerum omnium creator et gubernator altissimus qui sapientissima sua providentia attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Christus est Filius Dei vivi qui venit in hunc mundum, idest humanam naturam assumens intimo et substantiali nexu eamdem suæ divinæ personæ devinxit. Humanitati sic ineffabiliter sibi conjunctæ Dei Filius plenitudinem communicavit sanctitatis atque potestatis. Unde Evangelista Joannes postquam dixisset = Verbum caro factum est = adjecit = et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis. = Ipsemet autem Jesus solemniter affirmavit: = Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra; = et Joanni se ostendit habentem scriptum in femore suo: = Rex Regum et Dominus Dominantium =.

3. Scopus hujus tam grandis mysterii, quo Filius Dei Unigenitus a Patre missus animatum corpus sumens de Immaculata Virgine Maria nasci dignatus est, et in nobis habitare, fuit humani generis peccato perditi supernaturalis instauratio. Christus venit in mundum ut homines e diabuli captivitate liberaret, eos Deo reconciliaret, atque in terris veritatis et justitiæ cœlestis regnum stabiliret. Huc certe plenitudo tendebat sanctitatis potestatisve qua humanitas Christi cumulabatur, uti aperte ostendunt oracula Prophetarum, quos inter Regalis Psaltes Christum ipsum inducit clamantem: = Ego autem constitutus sum Rex ab eo, idest ab Altissimo Genitore, super Sion montem sanctum ejus prædicans præceptum ejus. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae. = Isaias vero vaticinabatur (1) = Parvulus natus est nobis, et Filius datus est nobis,

(1) Is. c. 9 v. 6, 7.

et factus est principatus super humerum ejus; et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis; super solium David et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitia amodo et usque in sempiternum =. Hæc omnia superexcelsa operatus est Christus mysteriis suæ conversationis in terris et suæ passionis, mortis atque resurrectionis. Is quippe dum opprobriis et dolore confectus mortem crucis subiit, mortem ipsam devicit, delevit quod adversum nos erat chirographum condemnationis, expoliavit principatus et potestates tenebrarum palam triumphans illos in semetipso, et novi testamenti mediatorem se exhibuit apud Deum ut homines repromissionem acciperent æternæ hæreditatis. = Passio quidem Christi, uti bene advertit Angelicus, secundum quod comparatur ad divinitatem ejus efficienter operatur nostram salutem, in quantum comparatur ad voluntatem ejusdem Christi salutem nobis promeretur, secundum vero quod consideratur in ipsa carne Christi agit per modum satisfactionis in quantum liberamur a reatu pœnæ, per modum redemptionis in quantum per eam liberamur a servitute culpæ, per modum autem sacrificii in quantum per eam reconciliamur Deo. (1) = Præterea sicut mors Christi per quam recessit a vita mortali est secundum rationem exemplaritatis causa destructionis mortis nostræ; ita resurrectio ejus, per quam incoavit vitam immortalem, est causa reparationis vitæ nostræ seu resurrectionis spiritualis in præsenti et corporalis quoque in futuro.

4. Ex hisce dogmatibus evidentissime patet, Christum ratione suæ divinitatis, jure hæreditatis in omnes gentes quæ datæ sunt ei a celesti Patre, et titulo emptionis qua prætiosissimo suo sanguine genus humanum sibi acquisivit, esse dominum omnium hominum, qui idcirco tenentur illi absolutum obsequium et perfectam præstare obedientiam. Attamen divinus Redemptor omnes quidem ad sui sequelam vocavit, perenne cœlorum gaudium promisit iis qui gratiæ vocationis cooperantes eidem usque ad finem ob-

(1) 3 p. q. 49 a. 8 ad. 3.

312

temperabunt, perhorrendam autem æternæ gehennæ condemnationem indixit illis qui eidem servire renuissent; sed in re tanti momenti voluit unumquemque relinquere in manu liberi arbitrii sui, ut eo vel bene utendo sibi meritum compararet, vel male abutendo se gravaret demerito. Sublimia divinitatis mysteria docuit et multiplices veritates ad religionem pertinentes prædicavit, quibus ejus discipuli sine ulla discussione et hæsitatione promptum et firmissimum præberent assensum, et adjunxit: = Qui credit non judicatur, qui autem non credit jam judicatus est, quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei. = Ipse Jesus sicut potestatem habens legem promulgavit perfectæ moralitatis, et conclusit dicens = Omnis ergo qui audit verba mea hæc, et facit ea assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram..... et omnis qui audit verba mea hæc et non facit ea, similis erit viro stulto qui ædificavit domum suam super arenam (1). = Instituit quoque septem Sacramenta, quæ essent signa sensibilia quæ significarent et conferrent gratiam sanctificantem, remedium essent contra peccatum, et homines perficerent in iis quæ pertinent ad cultum Dei. Sed neque circa eorundem Sacramentorum usum cohibuit libertatem humanam quemque invitum adigendo ad illa suscipienda; solummodo decrevit non posse gratiam, quæ ab illis confertur, obtineri nisi ab eo qui rite dispositus ad ea accedat. Hinc exempli causa cum proprium sit Sacramenti Baptismatis peccatum originale et actualia si adsint delere, sanctitatem infundere, et januam Paradisi aperire, nemo potest tanta recipere beneficia nisi aut in re, aut saltem, si necessitas urgeat, in voto Baptismate abluatur, dicente eodem Jesu Christo = Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei. = Mirificis hisce gestis, Filius Dei homo factus suum in terris exercuit imperium, perplures enim fuerunt qui divinæ gratiæ obsequentes secuti sunt eum, proprium intellectum subdiderunt cœlesti veritati, voluntatem subjugarunt legi supernæ charitatis, et vita supernaturali sacramentorum participatione informati et adaucti fuerunt. Ita etiam Jesus missionis a

(1) Matt. c. 7.

Patre acceptæ scopum attingebat salvandi mundum, nam fideles dum illi se lubentissime mancipabant, liberi evadebant a servitute peccati et diaboli, veritate et justitia locupletabantur, imo ipsum Deum possidebant gratia perfusi sanctificante, quæ est divinæ bonitatis participatio, et sic ad ineffabilem perpetuamque beatitudinem post mortalis hujus vitæ exitum perfruendam se se præparabant.

5. Christus quidem non venerat solos homines spiritualiter instaurare, qui coævi erant ipsi, et poterant verba vitæ quæ loquebatur auribus excipere et portenta quæ faciebat intueri; sed ejus missio extendebatur ad omnes filios Adæ, et jugiter impleri debebat usque ad consummationem seculorum. Veruntamen ipse consummatis redemptionis mysteriis ascensurus erat ad cœlum, non inde iterum venturus nisi ultima die mundi ad judicandas cum majestate magna omnes gentes, ad servos sibi fideles solemniter præmio afficiendos, et maledictione conterendos sibi injuriosos et rebelles. Jesus sedens ad dexteram Dei Patris est utique semper Ecclesiæ suæ Caput et Rector, est Princeps Pastorum, qui oves suas cognoscit, vocat et pascit, lupos arcet et vincit, usquedum, devictis potestatibus sibi contrariis, ponat omnes inimicos sub pedibus suis. Ast Ecclesia, ita eo decernente, visibilitate gaudere et ad modum regni gubernari debebat, præsidibus indigebat qui coram omnibus adstarent et videri ab omnibus possent atque auscultari. Hinc divinus Redemptor antequam ascenderet ad Patrem, quosdam in terris constituit viros, qui ejus decorati sacerdotio ac potestate præditi, vices suas agerent regnumve suum spirituale regerent et ampliarent. Is ex multitudine discipulorum duodecim elegit, quibus eandem contulit missionem, quæ a cœlesti Padre ei data fuerat dicens. = Sicut misit me Pater, et ego mitto vos; qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit, et qui spernit me spernit eum qui misit me =. Speciali modo eisdem doctrinam suam revelavit et exposuit, nam tamquam amicis nota fecit omnia quæ audivit a Patre, eos vinculo perfectæ dilectionis adeo sibi devinxit ut eisdem testaretur. = Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis et credidistis quia a Deo

exivi. = Hisce præcepit ut euntes docerent omnes gentes baptizantes eas in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, et instruerent servare omnia mandata sua, potestatem attribuit conficiendi augustissimam Eucharistiam, offerendi hostiam divinam, dimittendi retinendique peccata, promisit se omnibus diebus usque ad consummationem seculi cum ipsis esse futurum. Isti duodecim Apostoli dicti sunt, idest nuntii, quia Christum nuntiare debebant, eique testimonium reddere in omni Judæa et Samaria et usque ad ultimum terræ. Licet tot tantisque charismatibus locupletati non adhuc Apostoli arduo muneri, ad quod fuerant assumpti, sufficiebant nisi solemniori abundantiorique modo replerentur Spiritu Sancto. Quapropter Jesus Christus, qui promiserat se post non multos dies a sua in cœlum ascensione missurum ad eos cœlestem Paraclitum, præcepit ne a Jerosolymis discederent antequam induerentur virtute ex alto, scilicet Paraclitum ipsum acciperent, qui doceret eos omnem veritatem, et maneret cum eis in æternum.

6. Vos probe nostis, Venerabiles fratres et filii dilectissimi, quomodo reapse Apostoli in Cœnaculo repleti fuerint Spiritu Sancto, statimque exierint in conspectum innumeræ multitudinis Judæorum ac prædicarint divinitatem Jesu Christi necessitatemque recipiendi baptismatis in remissionem peccatorum. Ex tunc non destiterunt evangelizare Judæos primum, et postea gentiles non modo romano subjectos imperio, sed etiam degentes in regionibus remotioribus ac magis inhospitis juxta oraculum Psalmistæ, qui de Apostolis ipsis prophetaverat: = In omnem terram exivit sonus eorum et usque ad finem orbis terræ verba eorum. = Uberrima fuit credentium messis, quam primi isti evangelici operarii collegerunt, ita ut cito pene in universo mundo Ecclesia Christi propagaretur. Attamen Ecclesiæ, quæ magis magisque extendi, et usque ad finem sæculorum durare debebat, satis non fuissent Apostoli, qui vix duodenarium numerum attingebant, et brevi erant morituri. Opus erat ut ipsi sibi socios in sacro ministerio assumere possent, et post se relinquerent divinitus acceptæ potestatis hæredes, qui fidelium magistri fierent atque rectores. Tantæ Ecclesiæ suæ necessitati consuluerat Jesus instituens sacramentum Ordinis, cu-

jus plenitudo et fastigium est Episcopatus. Sacramentali quidem ordinatione traditur potestas spiritualis et circa Eucharistiam, quæ est Corpus Christi verum, et circa corpus Christi mysticum, quod est populus fidelis. Cum autem varios gradus hæc potestas admittat, hinc sapientissime plures distincti sunt ordines. Ministri, quos inter primum locum obtinent Diaconi, dum ordinantur facultate instruuntur propius inserviendi Sacerdoti sacra facienti, Sacerdotes potestatem accipiunt consecrandi divinissimam Eucharistiam, et dimittendi peccata baptizatis pœnitentibus, Episcopi vero potestate donantur regendi populum et in omnibus divinis mysteriis aliquos collocare. Unde scribit Angelicus: = solus Episcopus confirmat, quia confirmati in quodam officio confitendi fidem constituuntur; ipse etiam solus virgines benedicit, quæ figuram gerunt Ecclesiæ Christo desponsatæ, cujus cura ipsi principaliter committitur, ipse etiam in ministeriis ordinum ordinandos consecrat, et vasa quibus uti debent eis determinat sua consecratione; sicut etiam officia secularia in civitatibus distribuuntur ab eo qui excellentiorem potestatem habet sicut a Rege = (1). Hanc veritatem Divus Paulus innuebat cum admoneret sacros Antistites dicens = Attendite vobis et universo gregi, in quo vos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo (2) = idest vos qui ob sacramentalem ordinationem a Christo institutam constituti estis Episcopi a Spiritu Sancto, et ab eo accepistis sicut Apostoli potestatem et jus gubernandi fideles vobis commissos in iis omnibus quæ ad spiritualem salutem referuntur, et sacrum Dei cultum respiciunt, tota animi intentione tam grave munus persolvere debetis. Reapse crescente numero discipulorum Dei admonitu, et speciali prærogativa, qua pro necessitate exorientis Ecclesiæ ab Incarnata Sapientia donati fuerant, Apostoli cœperunt consecrare Episcopos, qui et ipsi aliis imponerent manus, et pro opportunitate determinatas regiones illis adsignarent excolendas. Legimus quidem in Actibus Saulum et Barnabam jubente Spiritu Sancto ab Episcopis qui erant in Ecclesia Antiochiæ, et certe jam fuerant ab Apostolis consecrati, fuis-

(1) Supp. q. 38 a. 1. (2) Act. c. 20.

se manuum impositione ad fastigium sacerdotii assumptos. Hoc ipsum excelsum ministerium contulit etiam Divus Paulus Timotheo et Tito quorum secundo scripsit = Hujus rei gratia reliqui te Cretæ ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates Presbyteros sicut ego constitui tibi. = Sic processu temporis Apostolis in universa Ecclesia successerunt Episcopi, qui in propriis Diœcesibus opus perficerent quod generatim pro cunctis gentibus a Jesu Christo apostolico collegio fuerat demandatum.

7. Ex veritatibus hactenus recensitis celsitudo patet et necessitas dignitatis et muneris episcopalis. Certe rationalistæ et increduli omnes, quocumque nomine appellentur, qui tum rationis argumenta luce clariora, tum auctoritatem quamcumque sive divinam sive humanam respuentes, aut Deum negant aut absurdum quoddam sibi Numen impersonale confingunt, qui divinitatem Jesu Christi inficiantur, qui Ecclesiam catholicam esse institutionem prorsus humanam effutiunt, qui dogmata peccati originalis, redemptionis a Verbo incarnato consummatæ, gratiæ cœlestis et gloriæ futuræ, esse poetica inventa sibi aliisque suadere contendunt, obsequio et affectu Episcopum prosequi nequeunt. Si quidem nulla vigeret auctoritas in mundo nisi humana, si nulla foret admittenda doctrina divinitus revelata et humanum vincens intellectum, si non alia vis inesse posset animabus nostris præter naturalem, si felicitas hominum in bonis tantummodo mortalis hujus vitæ esset quærenda, profecto non amplius daretur locus Episcopo, qui se prodit tanquam divina auctoritate donatum, doctrinæ et legis supernaturalis magistrum et promulgatorem, dispensatorem sacramentorum quæ vitam cœlestem communicant et augent, ac ducem spiritualem qui ita fideles regat ut spretis terrenis oblectamentis omnimodæ virtutis praxi gaudium æternum mereantur ac tandem fauste consequantur. Proh dolor! Nostris hisce temporibus non pauci sunt qui, supernæ veritatis lumine in semetipsis culpabiliter extinto, miserabiliter in horrendum hoc stultitiæ et impietatis barathrum se præcipites dederunt. Qui e contra divino lumine recreati dogmatibus supra enuntiatis firmiter adhærent Episcopum summa animi reverentia et benevolentia venerantur. Ipsi recogno-

scunt Episcopum personam Christi gerere et sacra instructum esse potestate Diœcesim suam ædificandi ac regendi, ad eum igitur sollicite accedunt ut veritates cœlestes ediscant ut ejus præcepta et monita exequantur, ut divinorum mysteriorum participatione justificationem adipiscantur atque sanctitatem. O terque quaterque felices Diœceses illæ in quibus omnis populus Spiritus Sancti ductus impulsu plena mentis voluntatisque subordinatione Episcopo tanquam suo capiti unitur! Ibi Antistes doctrinam Jesu Christi annuntiat explicat et inculcat, multitudo autem hoc pabulo, quod procedit ex ore Dei, nutritur ac roboratur; Antistes præcepta duplicis charitatis erga Deum et proximum promulgat et qua ratione ab omnibus fidelibus pro diversitate circumstantiarum sint adimplenda ostendit, et plebs sanctissimam hanc disciplinam complexa quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, et cogitat et operatur. Antistes insuper ope sacramentorum populum suum spiritaliter generat, ædificat et moderatur. Is quidem sacrorum ordinum collatione ad officium sacerdotale, quos ex suis subditis idoneos in Domino judicaverit, assumit; iisque veluti probatis adjutoribus utitur ad pascendos fideles. Præterea sive per se sive suorum sacerdotum opera sacramento Matrimonii, sine quo nequeunt christiani coram Ecclesia ullum maritale fœdus inire, sponsos benedicit ut mutuo sanctificentur, et rite valeant onera conjugii portare, præsertim prolem acceptam pie sancteque educare; sacro regenerationis lavacro novos in dies sibi gignit filios spirituales, quos etiam manuum suarum impositione et chrismatis salutaris unctione signat atque confirmat; justos sanctissimo eucharestiæ pabulo reficit et impinguat, peccatores ad pœnitentiam adducit et auctoritate clavium absolvit a culpis, Deoque reconciliat; morti proximos exeuntium unctione a languoribus animæ et ab infestationibus dæmonum liberat atque defendit; divini demum incruenti sacrificii oblatione omnimodas gratias atque benedictiones pro totius populi sanctificatione et salute ab infinito thesauro meritorum Jesu Christi deducit atque diffundit. Societas vero fidelis supernalibus hisce auxiliis constituta fœcundata et exculta fit Christi corpus mysticum, et sicuti in cor-

pore animali a capite descendit vitalis vis quæ membra efformat, compaginat, et per ipsas compages diffunditur in singulis membris ut proportionaliter pro eorum natura et conditione crescant in totius corporis perfectionem, sic a Christo capite Episcopi ministerio diœcesana plebs pro diversa fidelium conditione formatur, compaginatur, connectitur, augetur usque ad perfectam sui ædificationem in charitate. En quis Episcopus sit, et quidnam præstare teneatur ut altissimo suo muneri satisfaciat, et en simul quomodo plebs eidem concredita se gerere debeat ut beneficentissimi episcopalis ministerii fructus percipere queat. Sic Nos Deus adjuvet ut opus grande ad quod vocati sumus fideliter perficiamus et vobis quoque, Venerabiles Fratres et Filii dilectissimi, gratiæ abundantiam largiatur qua moti et excitati pastoralibus nostris sollicitudinibus respondeatis, et simul reportemus finem fidei quam profitemur salutem animarum nostrarum.

8. Quæ hucusque exposuimus veram sublimemque episcopalis potestatis et officii ingerunt notionem; debemus tamen eam ulterius explicare atque definire ut, amoto quovis errandi periculo, certissima fiat fidelibus et sacro eorundem Pastori norma veritatis atque justitiæ. Christus Jesus duodecim utique elegit Apostolos qui nomen suum portarent coram cunctis gentibus, sed eos non æquali insignivit jurisdictionis prærogativa. Petro quidem principatum contulit apostolici collegii, et Ecclesiæ universæ dicens = Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam = illi commisit ut pasceret seu regeret imperio et agnos et oves, idest populos simul et Episcopos, illi singillatim dedit claves regni cœlorum, et plenissimam ligandi atque solvendi potestatem. Ex his apertissime patet, Petrum et sic quemlibet ejus legitimum successorem esse caput totius Ecclesiæ cui propterea non modo simplices fideles, sed etiam omnes Antistites subesse debent. Sapientiam hujus dispositionis demonstrat Angelicus scribens = Cum tota Ecclesia sit unum corpus, oportet, si ista unitas debet conservari, quod sit aliqua potestas regitiva respectu totius Ecclesiæ supra potestatem Episcopalem, qua unaquæque specialis Ecclesia regitur, et hæc est potestas Papæ, et illi qui hanc potestatem negant, Schismatici dicuntur,

quasi divisores unitatis Ecclesiæ. = Theologicarum disciplinarum tractatores ostendunt ex luculentissimis traditionis documentis Summos Romanos Pontifices supremam hanc potestatem semper in Ecclesiæ regimine adhibuisse, eamdemque omnes fideles una cum sacris Pastoribus honore, obedientia et amore esse prosecutos. Sufficiat nobis referre decretum Œcumenici Florentini Concilii quo Patres latini et græci definierunt = Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri principis Apostolorum et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, et omnium christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse quemadmodum etiam in gestis Œcumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur. = Animadvertere nunc præstat ex allatis divinis oraculis apertissime desumi Romanum Pontificem primatum et jurisdictionem suam non ab Ecclesia tanquam repræsentantem, ut ita dicunt, aut caput ministeriale accipere, sed esse ab ipsomet Jesu Christo Ecclesiæ fundatore tanta prærogativa donatum, nam Ecclesia supponit fundamentum super quod est ædificata, hoc autem fundamentum exprimit plenitudinem potestatis a Salvatore uni Petro collatam. Item jus pascendi oves et agnos non datum est a Christo ipsis ovibus et agnis, sed Petro, ita ut non jurisdictio Summi Pontificis oriatur tanquam ex suo fonte a potestate clavium communitati fidelium collata, ut perperam nonnulli falsi doctores affirmant, sed recta administratio Ecclesiæ idest spirituale gubernium, quod legittime Antistites gerunt, fluat ex universali jurisdictione qua divinitus ditatus est Summus Pontifex Romanus.

9. Re quidem vera quid sibi vult pascere oves et agnos, et Ecclesiam universalem regere, nisi cœlestem irreformabili sententia docere veritatem, leges opportunas indicere ad justitiam custodiendam, et christianæ pietatis praxim fovendam, decreta ferre de iis quæ in sacramentorum administratione pro eorum validitate ac veneratione ipsis debita, et pro spirituali ea suscipientium utilitate sunt observanda, cœtus ecclesiastici sive secularis sive regularis piæ sanc-

tæque institutioni providere, novas sicut oportet erigere Diœceses, viros idoneos ad officium pastorale assumere, eorumque causas definire, multiplices ecclesiasticæ hierarchiæ gradus distinguere, et jura eorundem propria statuere, sacros Præsulum adunare conventus, eorumque acta confirmare, viros sapientia et charitate insignes ad infidelium hæreticorumve conversionem procurandam mittere; brevius supremam auctoritatem magistralem, legislativam, judiciariam, coercitivam a Christo acceptam ad Ecclesiæ catholicæ conservationem, ordinem, tutelam et incrementum exercere? Dum hæc omnia Summus Pontifex Romanus jure suo facit, unusquisque sive simplex fidelis, sive Prælatus debet illi consensum firmissimum præbere, promptamque obedientiam, nam legittima potestas superioris exigit suapte natura plenam inferioris submissionem. Idque unusquisque præstare tenetur absque discussione, quia ratio hujus obligationis non est intrinseca evidentia veritatis definitæ et rectitudinis injuncti officii, sed potestas Jesu Christi qua Summus Pontifex in Ecclesia regenda potitur. Ut autem fideles ita se gerentes omnem abjicerent errandi formidinem ipsemet Jesus Christus protestatus est numquam futurum fore ut portæ inferi prævaleant adversum Ecclesiam supra Petrum ædificatam, et eundem Petrum securum reddidit rogando Patrem pro eo ne deficeret fides ejus, et sic posset confirmare fratres. (1) Specialem curam Petri, uti animadvertit S. Leo magnus, Dominus suscepit et pro fide Petri proprie supplicavit, quia aliorum status certior fiebat si mens Principis nunquam futurum erat ut vinceretur. In Petro ergo omnium fortitudo munita fuit, et divinæ gratiæ ita ordinatum est auxilium ut firmitatem per Chistum Petro tributam, Petrus ipse Apostolis cœteris communicaret. = Admissa quidem inerrantia Petri et successorum ejus in rebus fidei et morum et in iis quæ generalem respiciunt catholicæ Ecclesiæ disciplinam atque utilitatem, jam unusquisque sive Prælatus sive simplex fidelis certissimus fit se in excipiendis docili obbedientique animo Summi Pontificis decretis obsequium præstare veritati et servire justitiæ.

(1) Luc. c. 22.

10. Post hæc liquido patet Episcopum, qui est centrum, imo generator christianæ plebis, et doctor supernæ veritatis, qui potestate pollet ferendi leges ad ædificationem animarum, administrandi novi fœderis sacramenta, in sacris ministeriis dignas personas collocandi; qui est suæ Diœcesis moderator ita ut in ea nemo sine ipso quemlibet Ecclesiæ actum peragere queat, debere a Summo Pontifice mitti, propriumve gregem accipere, debere amplecti promulgare ac tueri definitiones dogmaticas a Summo Pontifice prolatas, ejus judicia circa sanitatem vel erroneitatem doctrinarum quæ in dies evulgantur, ejus decisiones et regulas respicientes mores cultumque divinum, jura spiritualia, et ea quæ spiritualibus juribus sunt adnexa, ac modum quo ecclesiastica negotia veniunt pertractanda. Hinc planum est ab Episcopo in suo officio persolvendo continuam servandam esse dependentiam a Summo Pontifice, applicandas esse suo populo prout casus requirunt præscriptiones sive generales sive particulares quas Summus Pontifex emanat; sacram doctrinam esse publicandam, explicandam, inculcandam quam ipse Summus Pontifex proponit atque definit; operam dandam ne errores a supremo fidei magistro reprobati et anathematizati animos simplices et incautos corrumpant, atque ut ab omnibus catholicis unanimiter reprobati et anathematizati habeantur. Ita Episcopus gradum et ordinem tenet sibi divinitus constitutum, subjacet visibili totius mystici gregis Pastori, conjungitur ut nobilissimum membrum corpori Ecclesiæ cujus Caput in cœlo gloriosum est Christus, et Spiritu qui ab ipso divino capite fluit, vivificatur ut se suosque sanctificet et fructus faciat æternæ vitæ.

11. Hæ veritates, quas unusquisque catholicus profiteri tenetur, dum rectam et claram exhibent dignitatis munerisque episcopalis notionem, officia quoque luculenter ostendunt quæ a sacro Antistite ex una parte, et a fidelibus ex alia parte sunt persolvenda ut segregati a mundo, qui ut ait Evangelista Joannes in maligno totus positus est, maneant in Christo, et ab eo cum apparuerit in secundo adventu ejus non confundantur. (1) Nos quidem

(1) Eph. Jo. c. 2.

sanctissimis hisce innixi principiis firmissimum propositum habemus satisfaciendi, Deo opitulante, pastorali muneri quod suscipimus, et illud extemplo aggredimur vos nostros Venerabiles Fratres dilectissimosque filios vehementer exhortando atque monendo ut quæ quisque juxta catholicam regulam pro sua conditione et statu peragere tenetur, fideliter exequatur, et sic suam salutem spiritualem efficaciter operetur.

12. Vos Reverendissimi Canonici qui ad instar Angelorum stantium ante thronum cœlestis Agni immaculati quotidiana et publica Psalmodia in majori Diœcesis Templo laudes Deo persolvitis diligentissima ecclesiasticæ disciplinæ observantia omniumque virtutum exercitio cæteris sacerdotibus et populo prælucere studete. Vos, qui nostra estis corona venerandusque Senatus, e purioribus divinæ humanæque scientiæ fontibus, et quod magis refert ab assiduis fervidisque precibus opportuniora haurire consilia ne desinatis quibus in arduis negotiis spiritualis regiminis prætiosam Nobis opem feratis. Pietatem eandem ad exemplum profiteantur, Venerabiles Fratres nostri Canonici Capituli S. Mariæ Novæ istius Diœcesis, ita ut publicæ quas fundunt orationes in Templo penetrent cœlum, ed inde faciant descendere Dei miserationes. Vos admodum Reverendi Parrochi pastoralis nostræ sollicitudinis participes clara et fervida verbi divini prædicatione, recta ac solerti administratione Sacramentorum, pio sacri cultus exercitio, misericordiæ spiritualis et corporalis actibus, ac vivo vestræ integritatis exemplo fidelibus quorum curam geritis præsto sitis, eosque a primo exordio usque ad exitum vitae manuducite ad ultimum beatissimum finem capessendum. Coadjutores Parrochorum cunctique Presbyteri recogitent se esse nostros auxiliarios et debere illibata vivendi ratione et ecclesiastico ministerio prout necessitas aut etiam utilitas spiritualis requirunt populi fidelis sanctificationi cooperari. Vicarii autem Foranei qui adeo venerandae sacrorum ministeriorum cohorti praesunt, sciant se esse constitutos veluti speculatores ut invigilent utrum cuncta in Diœcesi bene et ordinata procedant, et si quid recto tramite aberrare deprehendant subito omni adhibita suavitate atque prudentia damnum impediant ac reparent, et si opus sit ab Antistite apta ne

morentur invocare remedia. Cum vero ad efformandum Clerum diœcesanum studio, religione, et zelo animarum præcellentem indispensabilis omnino sit accurata Levitarum institutio, hinc peculiari affectu vos complectimur, juvenes optimae spei, qui ecclesiasticae militiæ adscripti, litteris, scientiisque philosophicis atque theologicis in seminario operam datis. Obtestamur Sacerdotes scientia et pietate praeclaros qui ad vestram instructionem atque educationem incumbunt, ut nulli parcant labori et industriae ad animos vestros veritate et virtute imbuendos; vosquemetipsos urgemus ut puras sanctissimae nostrae religionis doctrinas quam diligentissime discatis et ecclesiastico spiritu informemini. Ita quidem et non aliter digni evadetis operarii quos caelestis paterfamilias mittet in vineam suam. Utique optaremus plures eosque ex omni parte idoneos juvenes sacris ordinibus condecorare, qui spiritualibus necessitatibus populi abundanter satisfacere possent. Perpetuo tamen fixum animo nostro manebit monitum Summi Pontificis Pii IX nunc mira sapientia animique fortitudine Ecclesiam regentis, qui Episcopos ita alloquitur = Vobis summopere cavendum ne cuipiam juxta Apostoli præceptum cito manus imponatis, sed eos tantum sacris initietis ordinibus, ac sanctis tractandis admoveatis mysteriis, qui accurate exquisiteque explorati, ac virtutum omnium ornatu, et sapientiae laude spectati, vestris Diœcesibus usui et ornamento esse possint atque ab iis omnibus declinantes, quae clericis vetita, et attendentes lectioni exhortationi doctrinae, exemplum sint fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate, cunctisque afferant venerationem et populum ad christianae religionis institutionem fingant, excitent atque inflamment. (1)

15. Nunc ad varias classes fidelium sermonem convertentes rogamus in primis illustres magistratus ut recogitent civilem quoque potestatem a Deo esse, eosque uti catholicos debere justitiam tueri, vero christianæ societatis bono servire, virtutem fovere, iniquitatem impedire et coercere, in pia religionis praxi cæteris præire, et se in omnibus ostendere Dei filios et fratres Jesu Christi. Dein

(1) Encic. 9 Nov. 1846.

viros egregios, quorum est juventutem humaniores litteras atque scientias docere, obsecramus ut perpendant quam gravi perstringantur debito profitendi veritatem ac proinde conformandi omnes institutiones dogmatibus catholicæ fidei; cum enim fidei nullimode subesse falsitas queat, si quid scientiarum magistri contra fidem suaderent, certo falsitatem non veritatem insinuarent, quod verteret in gravem perniciem non modo studiosæ juventutis, sed totiu's quoque societatis; indubium enim est veritatem etiam rationalem religioni catholicæ et simul rectæ administrationi ac prosperitati populorum favere, et errorem e contrario religionem sanctissimam adversari, societatemque civilem corrumpere ac perturbare. Genitores præterea excitamus ad munus sedulo persolvendum christiane educandi prolem, ut ipsam quam temporaliter genuerunt ad vitam æternam consequendam præparent. Quam grave sit negotium religiosæ filiorum educationis pro bono spirituali simul et temporali totius populi nemo est qui non videat. Hinc patet quam laudabiliter sancteque se gerant personæ, quæ christiana suadente religione pueros vel orphanos, vel nimia paupertate pressos, vel parentum socordia derelictos in opportuna charitatis et provvidentiæ hospitia colligunt, ne cum gravi moralitatis eorundem discrimine tota die otiosi per vicos et plateas vagentur. Hac utique industria præfati veri patriæ populique amatores pueros, de quibus loquimur, ex teterrimo eripiunt perversitatis periculo, et non modo eos temporali recreant subsidio, sed quod magis est, fidei veritatibus imbuunt, atque ad pietatis praxim alliciunt. Ob eamdem causam universalem promerentur gratitudinem piissimæ feminæ, quæ evangelicæ perfectionis regulam secutæ seipsas insigni sacrificio dedicant puellis graviori inopia laborantibus ac prorsus neglectis christiane instituendis. Magno quidem animi nostri gaudio rescivimus in ista Casalensi Civitate ac Diœcesi plures spectatos sive viros sive mulieres hanc tam proficuam in pueros inopes benevolentiam navare. Ipsis gratulamur, atque si opus est eos excitamus ut novas in dies sumant vires, constanter sanctissimum institutum persequantur præmium ineffabile a judice divino recepturi. Demum hortamur senes ut sint sani in fide, in dilectione, in patientia;

juvenes ut sobrii sint et pudici, adulescentulas ut sint prudentes et castæ; viros ut jura conjugii integre servent et domus curam habeant; uxores ut sint benignæ et subditæ viris suis, dominos ut sint mites et generosi; famulos ut sint dominis suis obedientes non contradicentes; omnes denique ut mutuam charitatem foveant et dulcissimo conjungantur vinculo pacis.

14. Quis est qui non ardenter exoptet prætiosissimis frui veritatis et charitatis divitiis in hac vita mortali, et post mortem cœlestem ingredi patriam, ibique perenni gloria et beatitudine potiri? Ast nemo, prout ex dictis liquet, nemo adeo excelsa bona consequi potest nisi uniatur Episcopo, communionem cum Summo Pontifice habenti, et sic membrum fiat corporis mystici Salvatoris nostri Dei. Itaque, Venerabiles Fratres et Filii dilectissimi, ad nos coadunamini et gratia Christi exultabit in cordibus vestris. Ut vero hæc unio tam desiderabilis et salutaris perseveret et jugiter augeatur, deprecemur Dominum ipsum Jesum Christum, sine quo nihil nos posse facere confitemur. Fundamus præces pro Summo Pontifice Pio IX cui omnes debemus toto corde adherere si volumus cum Christo conjungi. Vota solvamus pro Augusto Rege nostro Victorio Emmanuele II ut ipsi cuncta coram Deo prospera cedant, pro excellentissimo regali gubernio ut sapienter nos administret, et pro honorabilibus legumlatoribus ut justa decernant. Beatissimam invocemus Virginem Mariam sine labe originali conceptam ut materno suo et efficacissimo affectu jugiter nobis opituletur. Supplices invocemus Sanctum Episcopum Martyrem Evasium, qui primus hujus regionis incolis fidei ac religionis prædicavit veritates ac sacra mysteria dispensavit estque hujus Diœcesis gloriosus, potens, amantissimusque Patronus et Defensor. Martyres quoque invicti, quorum reliquiæ in sacris templis istius Diœcesis religioso cultu honorantur et Angeli qui nos custodiunt, nostras audiant deprecationes. Clementissimus Deus intercedentibus Excelsa Genitrice Unigeniti Filii sui et omnibus Sanctis gratiæ abundantiam nobis largiatur qua potenter adjuti in præsenti sæculo servemus fidei charitatisve unitatem, et post mortalis vitæ curriculum perfectis aeternae gloriae gaudiis perfruamur. Hoc est ardentissimum votum, quo

32 h

Venerabiles Fratres et Filii dilectissimi curam sumimus animarum vestrarum. Utinam ex omni parte impleatur! Id fore speramus, et hac soavissima fulti fiducia primam hanc pastoralem benedictionem Vobis peramanter impertimur. Benedictio Dei Omnipotentis, Patris, Filii et Spiritus Sancti descendat super vos omnes et maneat semper. Amen.

Dabamus Cremæ in Pervigilio Pentecostes,
VI Idus Junii MDCCCLXVII.

✠ PETRUS MARIA, *Episcopus.*

Cremæ, Typ. Episc. Campanini.

